



# Disputatio medica inauguralis de lienteria

<https://hdl.handle.net/1874/342347>

DISPUTATIO MEDICA  
IN AUGURALIS,  
DE

# LIENTERIA,

*QVAM,*  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

## D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
rite consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

JOHANNES CHRISTOPHORUS BRUNNZELL,

Freistadio-Silesius.

*Ad diem 19. Octobris horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc lcc LXXXVIII.

# VIRIS

Nobilissimis, Excellentissimis, Consultissimis, Experientissimo atque Doctissimis.

D<sup>NO</sup>. JOHANNI CHRISTIANO  
TRALLES, M. D.

Sacr. Cæf. Majest. Archiatro Dignissimo,  
nec non Freystadiensi, hujusque Circuli,  
& Grunbergensis, Physico ordinario.

D<sup>NO</sup>. MARTINO HEIDERO, J.U. Licent.

E T

D<sup>NO</sup>. JOACHIM HEINNITZ, JCto  
celeberrimo & Practico Famigeratissimo.

Dnis Patronis ac Promotoribus summâ observantia colendis

Inauguralem banc Disputationem

in

Grati animi testimonium & ulteriore  
studiorum suorum commendationem  
humillime offert & dedicat

J. C. BRUNNZELL.



# Summo Favente Numine.

## THE S I S I.

**L**ienteria vox origine quidem græca est, Hippocrati jam olim usitata, & *Etymologiae* componitur ex λεῖος, lœve, lubricum, *glia*. & ἔντερα intestina, adeoque idem est ac λεῖον τὸ ἔντερον, monente Gorrao in Definit. Med. Sed jam latina civitate donatum Lineteria vocabulum est, quemadmodum pleraque à Græcis mutuata morborum nomina v. g. Dysenteria, Diarrhæa, Dysuria, Hydrops, Pleuritis, &c.

I I.

Celso Lienteria diciatur lœvitas intestinorum: Aliis Lævor *Synonymia*, aut Lubricitas Stomachi & Intestinorum, item fluxus lientericus. An verè fluxus chylosus commodè dicatur, quorsum & Cardilucius in Officin. Sanit. p. 456. inclinat, hæreo, cum chyli nomen vix mereatur, quod in Lienteria excerni solet, nisi & ipsa Cœliaca habeatur pro specie Lienteriae.

I I I.

Equidem è Recentioribus Bruno in Lexic. Med. differen- *Homony-  
mia*.  
A 2

#### 4 DISPUTATIO MEDICA

tiam inter Cceliacam passionem & Lienteriam non necessariam arbitratur ; nec rarum est à Veteribus eas interdum confundi. Ita enim Aretæus in Lienteria secedere stercora liquida ab ali- bili indiscreta putat lib. 2. de morb. diutur. cap. 10. It. Amat. Lusit. Cent. 2. Curat. 56. Lienteriam inscribit , cum Nobilis quidam semicrudum cibum per secessum emitteret, quod tamen Cceliacæ potius indicium est. Nam & Capivaccius sub Lien- teria Cceliacam omnino comprehendit Lib. 3. Prax. Med. cap. 16. ut taceam Nic. Myrepsum Comp. Med. Sect. 38. cap. 160. medicamentum parare pro Lientericis ramenta dejicientibus , qua- lia in Dysenteria quidem , at in Lienteria propriè dicta nun- quam excernuntur.

#### I V.

Nec omnino hic præterire Salmuthum possum , qui solus ac primus , quod sciam , Lienteriam urinalem dixit , pro Diabete , utpote cuius exemplum Cent. 2. Obs. 91. sub eo refert titulo: Vi- ri scilicet qui vini potum prorsus eundem substantia , colo- re atque odore per vias emittebat urinarias. Quemadmodum enim alias Lienteriam vocant , si cibus per intestina rejiciatur non mutatus , ita nec dubitat Autor Lienteriam nominare urinalem , quando potus redditur , prout assumptus fuit.

#### V.

##### Definitio.

Quicquid tamen ejus sit , stricte loquendo Lienteria nihil aliud est , quam Cibi Potusque indigesti per alvum excretio.

#### V I.

##### Genus.

In qua definitione generis locum occupat excretio , & quidem per alvum , quo ipso generali conceptu coincidit cum Cceliacâ , Diarrhæa & Dysenteria. Abstineo autem lubens à termino alvi fluxus , quoniam in Lienteria neque adeo copiosa , prout in Diar- rhæa vel Dysenteria excernuntur , nec fluida æque , nisi pluspo- tus.

tus quam cibi assumat æger. Si quis proinde panem cum carne, aut solida similia sumta per alvum reddiderit, talis profecto excretio minus aptè dici poterit alvi fluxus.

## V I I.

Verum à reliquis ita dictis alvi fluxibus Lienteria promtè distinguitur, si materiam attendamus excretam. In hac ipsa enim cibis potiusque planè indigestus excernitur. In Cœliaca semidigesta chyloque perfusa, in Diarrhæa, serosa, biliosa, vel viscida. In Dysenteria denique cruenta & purulenta.

## V I I I.

Dum Cibum Potumque indigestum nomino, monendum est, sub iis intelligi alimenta debita atque consueta. Si quis enim Ossa, testas cancerorum, nucleos cerasorum & prunorum similiaque per alvum reddit indigesta, pro Lienterico habendus non est, siquidem talia inter cibos numerari non merentur. Ad cundem modum nec infantes Lienteriâ laborant, quando passulas & amygdala, Lentes atque pisa per anum dejiciunt, nam & teneræ atatia talia minus convenient, & quæ admiscentur stercora, satis indicant, non omnem deficere digestionem prout in Lienteria.

## I X.

Quod si sedem hujus mali examinemus, manifestum erit, tres circa eam omnino diversas esse Auctorum opiniones. Nimirum sunt qui intestina tantum habent pro affectâ parte. Sunt alii qui Stomachum tantum accusare malunt, denique nec desunt, qui Stomachum simul & intestinâ in Lienteriâ pati contendunt.

## X.

Prima sententia dûbio procul antiquissima est, qui enim primum nomen Lienteræ huic malo imposuerunt, videntur respexisse ad intestinorum Lævitatem. Atque ideo Galenus 6. Apb. I. eos reprehendit, qui alimenta ingestâ retineri putant ab intestinorum asperitate, qua perditâ sequeretur Lienteria.

A. 3.

X. Sed.

## 6. DISPUTATIO MEDICA

### X I.

Sed Ventriculum, fermentique Stomachalis penuriam præ cæteris urget Hel'mont, à quo, nisi fallor, adeo non abludit *Excel. D. D. Dolens in Encycloped. p. 405.* dum in Lienteria & coeliaca passione Ventriculi Fermentum vitiari ac iners reddi ad comminuenda alimenta credit. Præterea quem sibi Archæum Stomachi fingit Helmont, eundem Dolæus donatur titulo regio Casteronacis, qui præsit œconomia Stomachicæ ad Intestinum usque rectum. Clarius loquitur Etmullerus in Praxi, quando Lienteriæ causam quærendam statuit vel in Fermento non digerente, vel in Pyloro non retinente.

### X II.

*Causa proxima.* Plerique autem, & rectius quidem, Stomacho simul & intestinis Sedem hujus affectus adscribunt, quanquam in causa ejus proxima reddenda minus convenient. Qui Galenicorum casta sequuntur lœsiones facultatum urgent, videlicet deficientem concoctionem, labefactatam retentricem, ac denique irritatam expultricem. Hos, ut declinant terminos, substituunt Moderni, Concoctioni quidem deficiente Fermentum iners, Retentrici lœsæ Atoniam & laxitatem Stomachi atque Intestinorum, Expultrici irritatæ Motus convulsivos.

### X III.

Enimvero in verbis facilis ero, modo conveniamus in re. Salvâ igitur Clarissimorum & Doctissimorum Virorum Autoritate, existimo Lienteriæ causam proximam unicè quærendam esse in Spiritibus. Suppono jam ad mentem Excell. D. D. Rivini Præceptoris mei, ac Patroni in æternum devenerandi chylificationis negotium deberi Spiritibus, ab iisdem similiter dependere non modo Ventriculi robur, sed & motum omnem peristalticum. Quid clarius est? quam in Lienteria Spiritus deficere in debito digerendo ac retinendo, ast in propellendo ejus quod molestum est, magis occupatos esse.

### XIV.

## X I V.

Solus certe sufficientis digestionis defectus non omnem absolvit Lienteriam, nam & in Apepsia ad aliquot s̄epe dies alimenta indigesta in ventriculo retinentur. Stomachi autem atonia sive fibrarum laxitas, cum defectivè saltē concurrere queat, non tam juvare vel accelerare poterit excretionem, præcipue solidorum, quam retardare, quemadmodum id Alvi suppressio ab Intestinorum Paralyſi satis evincit.

## X V.

Superest itaque, ut demonstrem defectum Digestionis ac Retentionis unicè ex eo nasci, quod Spiritus cibum potumque assumptum, tanquam molestum quid ex impotentia quādam rejiciat. Præstat id Spiritus non difficulter per motum Stomachi & Intestinorum peristalticum saltē acceleratum, quemadmodum alias non raro est, eo inverso nasci Vomitus, ut & ingesta quævis per os nonnunquam reddantur planè non immutata.

## X V I.

Res clarior erit, si causas Lienteriæ spectemus remotas. Me-  
mini certe id vitium in honesta quadam Fœmina obortum à <sup>Causare-</sup>  
refrigerio, cum sc. tempore verno hybernas mutaret vestes.  
Sentiebat autem leviores in abdomen dolores, quales in Diar-  
rhœa contingunt mitiori, neque prius liberabatur à morbo,  
quam ad pristinum rediret amictum. Quid Aér Austrinus in  
excitanda Lienteria etiam epidemica valeat vid. in Petrai Dissert.  
*Harm. 26. p. 71.*

## X V I I.

Par est ratio Potus copiosi ac præsertim frigidi. Refert enim  
*Hæferus in Medicat. famil. p. 555.* Comitem, cum jejuno  
Somacho potum sumpsisset glaciatum, in Dysenteriam incidisse  
cum

## 8 DISPUTATIO MEDICA

cum Lienteria conjunctam *Excell. D. D. Rivinus* observavit pueram non nisi à crebriore nocturno potu, quam ipsam consuetudinem pessimam nulla ratione deponebat, in alvi fluxum ac postmodum Lienteriam incidisse diuturnam, tandemque lethalem.

### XVIII.

Idem malum frequentius accidit ex nimio esu fructuum horæorum, item fungorum, quorum Fr. Hofmannus meminit in *Meth. Med. p. 330. & Cardiluc l. c. p. 457* Ab ingurgitatione immoderata carnis suillæ simile quid notavit ex Camerarii observatione Schenckius *Lib. 3. de Lient. Obs. 2. p. 343.*

### XIX.

Nam & plerique Veterum intemperiem ventriculi frigidam collectamque pituitam plus minus acidam accusare videntur. Præ cæteris id testatur Forestus, qui materiam pituitosam Stomachum lubricantem cum ructibus acidis in Lienteria notavit. *Lib. 22. Obs. 27.* Ad eundem modum Scorbutici quoque eadem vexantur, quod observatio ejusdem 25 docet, & Barrette in *Prax. cap. 3. de Scorb.* item quibus humor acris & biliosus in primis viis redundant vid. *Obs. 29. & Gabelchov. Cent. 2. Curat. 47.*

### X X.

Ab eadem hac pravorum humorum acrimonia tandem & Aphthas nasci, quales alias in ore solent, jamjam Galenus prodidit 6. *Aph. 1.* Confirmat ejus assertum ulterius Duretus in *Annotat. ad Hollerium pag. 344.* additque se verè observasse in Viro Nibili, quod Galenus lib. 6. *Epid. Sect. 3.* annotavit, dolores nempe circa umbilicum quasi exulcerationis certissimum signum Aphtharum in ventriculo.

### X XI.

Quod si Apostema & majora ulcera Stomachum corripiant, eadem

## I N A U G U R A L I S .

eadem oboritur Lientera, atque tum præcedente ventriculi dolore, purulenta per alvum excrescuntur præter assumpta. *Confer. Foresti Lib. 18. Obs. 33. & Lib. 22. Obs. 30.* ubi notatu dignæ legi possunt historiæ, una quidem Puellæ, altera Nau-tæ graviter quidem decumbentium, feliciter tum restitu-torum.

### X X I I.

Neque dubium est, si Lienteria sequatur Dysenteriam, quod olim Hippocrates annotavit 1. de morbis 3. & nunc frequen-tius in Praxi occurrit, quin ulcera, si non Ventriculi certe intestinorum tenuium, hunc in consensum trahentium, Lien-teriam producent. Quamquam inficiari nequeo, consolidatis etiam ulceribus, eam perdurare posse, non quidem ob cicatri-cem, intestina lubricantem, quod ante hac creditum est, sed potius propter dolorem nondum superatum, aut inde natam impotentiam alimenta indigesta penitus aversantem.

### X X I I I.

Quid? quod & vitio mesenterii exulcerati Lienteria oritur. Id enim saepius in indiis occurtere constat ex Bontii *Med. In-dor. l. 3. c. 12.* Atque illud comprimis mirandum est, apertis Cadaveribus repertos quidem fuisse Abscessus in mesenterio insignes, intestinis nihilominus & Stomacho illæsis.

### X X I V.

Hæc & similia qui ponderat, facile judicabit in eo causas jam enumeratas omnes convenire, quod Ventriculum stimu-lent ad propellenda contenta. Etenim perinde est, sive vi-tium hæreat in assumptis ipsis Stomachum gravantibus, sive in contentis, atque collectis humoribus pravis: sive vitium sit in ipsa Ventriculi substantia exulcerata, sive in partibus vici-nis per consensum affidentibus Stomachum, seu denique aëris ambientis frigu in culpa sit. Satis est ad producendam Liente-riam, si adeo Ventriculi atque Intestinorum motus peristalti-cus acceleretur, ut Assumptis nulla ad digestionem requisita concedatur mora.

## 10 DISPUTATIO MEDICA

## XXV.

*Signa Dia-  
gnostica.*

Propero ad Signa, in quibus tamen enarrandis prolixus  
haud ero. Nimirum Morbus ipse satis manifestus est, si de-  
prehendamus sumptum cibum potumve paulo post rejici per  
alvum. Neque verò necessum est, ut excretorum odorem,  
Colorem, Saporemve propriis usurpemus sensibus, cum satis  
fictum in re minus ardua vel Ægrorum vel Adstantium vel  
vetularum clinicarum sit testimonium.

## XXVI.

*Prognosi-  
ca.*

Ut autem Prognosis formetur accuratior, monendum est  
primo ad imitationem Mercati, Lienteriam distinguere posse  
in legitimam & spuriam. Legitima certe minus erit pericu-  
lofa, cum non nisi assumpta excernentur cruda. Spuria diffi-  
cillior erit curatu, ubi præter alimenta humores acres, viscidii  
aut purulenti simul ejiciuntur.

## XXVII.

Secundo distinguendum quoque est inter Lienteriam pri-  
mariam, quæ Hominem cætero quin sanum aggreditur, &  
secundariam, quæ alios sequitur morbos. Illa profecto mi-  
nus erit lethalis præ hac quæ ægrum corripit per morbum acu-  
tum chronicumve viribus exhaustum. Ecquis autem non in-  
telligit promptè, Lienteriam post diuturnam Diarrhæam aut  
Dysenteriam longè pejorem esse, videatur *Actuar. M. M.*  
*lib. 1. cap. 20. Sennert. Pr. lib. 3. pag. 2. Selt. 2. c. 5.*

## XXVIII.

Tertiο nec illud reticendum est, Lienteriam, si solitaria  
sit, facilius tolerari. Quod si graviores morbi, aut atrociora  
concurrent Symptomata, malum. Talia sunt Hydrops Scor-  
butus inveteratus, Tabes, difficultas spirandi & Laterum pun-  
cturæ, item Febres acutæ, Ulcera partium internarum &c.  
Confer. Hippocrat. in Coacis pag. & Langium in Pathol. animal.  
cap. 52. pag. 462.

## XXIX.

*Curam  
terna.*

Supereft ut Curam hujus affectus tandem subjungam, at-  
que illa quidem partim internis partim externis absolvitur. In-  
ter ea,

I N A U G U R A L I S. II

ter ea, quæ per os assumuntur medicamenta, primatum obtinent Spirituosa, utpote quæ Stomacho grata & analeptica Naturam ad sui amicam retentionem ac digestionem alliciunt. Præ omnibus itaque Vinum Malvaticum eligit Rulandus *Curat.* *Emp. Cent. 10. Curat. 10. & Cent. 7. Cur. 57.* Ejusdem virtutis notavi Hispanicum vinum & Canariense, nam & horum unico usu nonnullos è Lienteria restitutos vidi.

X X X.

Nec contemnenda sunt hoc in passu, vinum Cydoniatum è succo Cydoniorum fermentato factum, & in genere Spiritus ardentes è fructibus cerasorum, pomorum, rubi idæi &c. quibus substitui possunt magis vulgati nihilo inferiores tamen, Spiritus frumenti, juniperi, ac potissimum Spiritus vini, quem egregium millies expertus est Kozak in *Tr. de Sale cap. 9. Sect. 16.*

X X X I.

Adhæc Stomacho magis accepta erunt ejusmodi Spirituosa, si affundantur Aromatibus, atque ideo per placet mihi Aq. Vit. Mercat. quam in Lienteria sæpius expertam describit lib. 1. de rect. præfid. usq; p. 166. Addit scilicet Aquæ vitæ cortices aurantiorum, flores roris marini, Cinnamomum, Crocum, Benzoë atque Mosci tantillum. Huic tamen nullatenus cedit Spiritus vini à Mastiche atque Galangâ abstractus, quem in Languore Stomachi mirè deprædicat Deodatus in *Panth. Hygiast.* lib. 3. c. 24. Sicuti & Spiritus Mastichinus compositus, quem *Paul Quadr. Bot. p. 541.* adjectis præterea *Cinnam. Caryophyl. Cardam. Mac. Zedoar. Coft.* atque *Ligno Aloë* parare docet.

X X X I I.

Eadem hæc & similia aromata, quacunque demum ratione *Aromaticæ.* exhibeantur, egregia sunt. Sive enim in formâ pulveris dentur, sive instar Trageæ cum vino, sive sub specie Claretii seu vini Hippocratici &c. nihil refert. Ideoque suam quoque laudem meretur *Tinctura Cinnam. Aqua Cinnam. Cydoniata, Nux Indica, Zingiberque conditum.* His succedunt reliquæ plantæ aromaticæ, Menth. & Elixir Menth., Rosmar. & quæ ex ejusdem floribus parantur excellens *Aqua Reginæ Ungæ,*

## 12 D I S P U T A T I O M E D I C A

riæ, item Majorana, Marum, Pulegium, Satureja &c. Aquæ antapoplecticæ omnis generis, Aq. Carfunculi, Balsamum Embryonum &c.

## X X X I . I .

Nempe quæ olim calida dicebantur Stomachica, ea in universum hic locum habent, nempe, si Lienteria sit v. g. à refrigerio, à potu frigido, ab esu fructuum horæorum, fungorum, ac in genere ubi imbecillitas quædam Ventriculi est, aut etiam collecta cruditas pituitosa. Absit autem ut acria & Spirituosa istiusmodi præscribamus, si acrimonia humorum vel Febris concurrat ardens aut maligna, vel etiam exulceratio Stomachi, Intestinorum aut Mesenterii.

## X X X I V .

*Absorbē-*  
*tin.*

Tutiora erunt in tali casu Absorbentia Martialis terreaque Crocus Mart. terra vitrioli dulcis, terr. figil. & Lemnia, Bolus Armen, Marga, Lac Lunæ, Corollia, Mater perlar. Lap. Cancr. Cornu Cervi atque Ebur, hæc enim sunt, quæ potissimum pulverem mirificum in Lienteria constituunt descriptum à Deodato l. c. pag. 153.

*Adstringē-*  
*ntia.*

His addi poterunt in parciore dosi fortius adstringentia. Aluminis ipsius dextro usu nihil præsentius arbitratur Petrus in *Nosolog. Harmon. Dissert. 26. p. 77.* Confer Fr. Hofmanni M. M. lib. 1. p. 330. Idem valet Saturni Saccharum & Tinct. Martis antiphilis. item Rosæ rubræ, rad. Ireos aquat. Tormentill, ac Bistortæ &c. Qui decoctum hujusmodi adstringens optat, adeat Quercetanum Pharmacop. cap. 12. pag. 302. Mirabiliter autem prodesse immatura acerbaque Mora, si siccata tritaque in potu exhibeantur, affirmat Donat, ab Altomar. de Med. hum. carp. mal. cap. 71. p. 317.

## X X X V I .

*Anodyna.*

Eodem hoc in loco semen papaveris insigniter commendat idem Auctor. Ac memini hinc inde à Practicis commendari Opiata varia, Theriacam, Mithridatum, Requiem Nicolai &c. Nec dubium est, quin Anodyna optima sint, si cum

tormi-

torminibus aut Dysenteria concurrat Lienteria, quæ vero doloris expers est, in ea præcisè requiri non videntur. Interim tamen Theriacæ & Mithridatio non omnem denegare possum facultatem, siquidem & varia aromatica in compositione ad mixta, nec iis ingrata erunt, qui hisce delectantur Panacæis.

## XXXVII.

Et quanquam non desint, qui vomitum pariter & purgantia suadere ausint, illum quidem ad revulsionem & divertendum quasi Stomachum, hæc vero ad subducendam acriorem bilem vel pituitam. Confer Bertinum Meth Med. p. 760. Videtur Vidium de Cur. Membr. lib. 9. c. 17. p. 459. aliosque. Nihilominus evacuatione tali facile superfedere licet, si modo humores evacuandi corriganter alterantibus, præsertim cum Natura ipsa ad eorundem excretionem sit paratissima.

## XXXVIII.

Transeo potius ad curam externam, ubi ante omnia monendum, Calorem valere plurimum in Lienteria, videlicet si cura ext. à frigore aëris ambientis aut potus oborta fuerit. Quibus voluptate est, uti poterunt, Consilio Mercati, qui Op. Tom. 3. p. 229. manum temperati hominis diu Ventriculo imponi, aut loco ejus Catulum, vel columbarum pullum jubet. Fortasse eodem cum successu lateres calefacti applicari possunt.

## XXXIX.

Efficaciora extra dubium sunt Balsama stomachica ex oleo menthæ, Citri, aurant. angel. Cinnamom & Caryophyll. cum expresso Nucis Moschat. mixta. Pauperibus idem præstat fermentum panis cum succo aut pulvere menthæ, addito caryophyllorum, Cinnamomi & Nucis moschatæ pulvere, quibus commixtis, si lubet, spirit. vini aut frumenti aromatisatus adspergi potest. Qui formam Emplastri optat, commodum sibi eligat scutum stomachale ex Emplastro de Mastice atque Tacamahaca, de crusta micave panis, de baccis Lauri.

## 14 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

## X L.

His instructus non indigebit cucurbita magna five ventosa, quam Piso de cogn. & cur. morb. l. 3. c. 12. pag. 525. regioni stomachali applicare suadet. Multo minus delectabit Dropace aut Sinapismo excitatisque vesicis in pectore vel ventre, vel manibus pedibusve juxta Celsum lib. 4. cap. 16. & Ætium Tetr. 3. serm. 1. c. 7. & Christoph. a Vega de Art. Med. Lib. 3. c. 11. p. 600.

## X L I.

Dista.

Finaliter qui regulas Diætae in hoc morbo a me requirit, Diæta sciat paucis cibum potumque omnem vitandum esse, qui vim habeat alvum laxandi. Saccharata proinde ac mellita, fructusve horæi non dentur, exceptis cydoniis, quæ cum vino decocta, cinnamomo conspersa alimentum præbent verè medicamentosum. Tale pariter est vitellum ovi cum pulvere nucis Moschatæ experimento Foresti l. c. Potus itidem sit vinosus, prout superius dictum; nec vinum absinthites iis inutile erit, qui amaris delectantur. In genere autem moneo, nihil ægro exhibendum esse de cunctis, quæ abhorret, et si vel maxime ipsi foret utile, imo verò ad excitandam cibi cupiditatem dandum etiam est, quod minus utile videtur, si modo gratum fuerit. Videatur Celsus loco jam allegato. Hæc sunt, Amice Lector, quæ per temporis brevitatem tibi propонere mihi licuerunt, sique forsitan non in omnibus ex asse genio & desiderio tuo satisfecero, veniam & ulteriore in formationem à Tua Humanitate humane peto. Interim DEO ter Opt. ter Max. gratias persolvo devotissimas, quod huc usque clementissima sua benedictione studiis meis præesse voluerit, eundem porro inuocando, ut & imposterum illa ad Divini sui Numinis Gloriam, & Proximi præprimis Ægorum, Salutem dirigere velit.

F I N I S.

# G E L U C K W E N S C H

Aan den seer geleerde en welervarene H E E R,

## J. CHRISTOPHORUS BRUNNZELL,

Wanneer hy naar gegeve preuen van sijn ervarenheit, mit grooten  
lof Medicina Doctor, van den Hooggeleerde, vermaarde ende wel-  
ervarene Heer en Meester,

## J A C O B U S V A L L A N,

Wierd verklارد.



Eluckig is, die wel zijn tijdt besteedt, te achten,  
Vermids hy anders niet als welaart heeft te wachten,  
Want hy, die woeckert met den tijdt, niet onbeloont  
En blijft, maar word met 't geen, hy had beoogt, gekroont.  
Naar waarheit van dees' zaak behoef ik niet te vragen,  
Terwijlen wy hier van zien preuen alle dagen;  
En om niet verr' te gaan, Heer BRUNNZELL staat ten toon,  
Die heden van den tijd fal krijgen zijnen loon;  
Dewijl tot Leypsig hy, en Leyden, in 't doorsoecken  
Van kruyden krachten, en Hippocrates sijn boecken,  
Sijn tijdt heeft doorgebracht, en sich bequaam gemaakt  
In 't onderzoek van 't geen naar Docters konsten smaakt.  
Waarom naar UTRECHT hy (het puyck der Hooge Schoolen,  
Wiens MEESTERS niet de Jeugt in CARTES laten doolen)  
Sich heeft begeven, om zijn preuen uyt te staan,  
Gelyk hy ook met lof dit werk heeft afgedaan.  
Gy hebt, Heer BRUNNZELL, uw, heel mannelijk gedragen,  
En deed uw antwoord op der WYSE MANNEN vragen  
Tot haar genoegen, tot verwondering van haar,  
Die op haar twijfvel-vraag uw antwoord vonden klaar.  
Om van uw scherp verstand, en wijsrijk breyn te spreken,  
Daar toe sou my den tijdt, en woorden meed' ontbreken,  
Want daar EUTERPE telfs niet kan naar waardigheydt,  
Vertolken uwen lof die in uw wijsheyt leyd,  
Hoe sou ick zijn bequaam dees' saak te onderwinden,  
Daar ik niet kan het eynd van uwen lof uytvinden?  
En wijl uw wijsheysts glans, door soo een schraal gedicht  
Verduyst'ren meerder sou, als koomen aan het licht,  
Soo wil ik voor dees reys hier van mijn dichten staacken,  
En wenschen U geluk en voorspoet in uw saecken,  
Terwijl gy 't ondersoeck en preuv' hebt uytgetaan,  
Den trap als MEESTER sulc in MEDICYN ontaan.

U, wensch ik, dat gy moogt ten dienst van swacke leeden,  
Uw konst en uw practijck voorsichtelijck besteeden,  
Op dat uw gauwigheyt mag dag'lijks meer en meer  
Verbreyden uwen naam, uw kennis, en uw eer,  
En doen uw gouden lof als hemels-sterren blincken,  
Ja selfs noch naar uw doodt tot vreugdt van DUYTSLAND klincken.  
Leeft lang, vaar wel mijn vriend, ontfangt in uwe gonft  
Dit dicht, gesongen meer uyt liefd' als naar de konst.

*Amplificande amicitia ergo hoc apposuit;*

G. BRONSRAADT, Phil. Stud.

### Aan den selven.

**V**erdient de groote Weerelt een neerstig onderzoeken,  
Die meenig schrander breyn en sneege geesten wett  
Die enig tot dit werck sijn befigheden sett,  
Die laght met Venus bles en met de sachte doecken.  
Verdient de kleyne Weerelt geen ondersoek met allen?  
Daar 't Eeuwig-Al sijn kunst seer aardig heeft verknocht  
En doe de tweede soot tot d'eerste was gebrogt  
Doc kon en 't een en 't aan aan d'Opperbaas gevallen.  
Die dan aan 't beste deel van 't tall'lik Werelts ronde,  
De krachten van sijn Ziel en Lighaan gantsch verslijt,  
Die 's mijns bedunkens geen verkwister van den tijdt,  
Al wrogt hy door de kunst soo lang hy immers konde.  
De pooging van u hert, Heer ERUNNZELL en uw' lusten,  
Die doelen op geen slecht en op geen nietig ding  
Daar d'ondersoeker geen of weynig voordeel ving;  
Maar uwe geest die svveeft ontrent GALENI kuften,  
Daar 't groen Laurier ten deel doormengt met goude bladen,  
Een schoon gesicht geef aan yder die 't beſiet,  
't Geficht, geloof me vry, en vvas 't allcene niet,  
Dat 't eedelmoedig hert van BRUNNZELL kond' verzaden.  
Gy maakt mijn vvaerde Heer, een aanvanck om te plucken  
De vruchten van dien boom die LEIPSIG had geplant,  
Die selfsaam is geueckt in meenig ander Lant,  
Den Hemel geef uvv Heyl, en doe het voorts gelukken.

*Raptim in observantia symbolum subiectit*

ISAACUS NETHENUS, S.S. Theol. Stud.